et fac bonitatem: et inhabita terram et pasceris
in diuiciis eius. Delectare in domino: et dabit
tibi peticiones cordis tui. Reuela domino uiam tuam
et spera in eo: et ipse faciet. Et educet quasi
lumen iusticiam tuam et iudicium tuum tamquam
meridiem: subditus esto domino et ora eum. Noli
emulari in eo qui prosperatur in uia sua: in ho-
mine faciente iniusticias. Desine ab ira et de-
relinque furorem: noli emulari ut maligne-
ris. Quoniam qui malignantur exterminabuntur:
sustinentes autem dominum ipsi hereditabunt terram.
Et adhuc pusillum et non erit peccator: et queres
locum eius et non inuenies. Mansueti autem here-
ditabunt terram: et delectabuntur in multitudine
pacis. Obseruabit peccator iustum: et stridebit
super eum dentibus suis. Dominus autem irridebit
eum: quoniam prospicit quod ueniet dies eius. Gladium
euaginauerunt peccatores: intenderunt ar-
cum suum. Ut decipiant pauperem et inopem: ut
trucident rectos corde. Gladius eorum intret in
corda ipsorum: et arcus eorum confringatur. Me-
lius est modicum iusto: super diuicias peccatorum